Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-590451-p0001-5

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-590451-p0002-1

~~147.~~
165

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-590451-p0003-6

ELEGIA

In obitum immaturum Docti, Strenui ac Nobiliſſimi Viri,

DN. SIGISMUNDI à LATTORF

In Klieken & Grochvvitz Hæreditarii,

Anno ſalutis 1618. die 2. Ianuarii horâ pomeridianâ ſecundâ, in Chriſto piè defuncti.

SIccine graſſaris mors inter ſanguine junctos,
Ut geminos fratres, nobilitate pares:
Nec non MARIAM trinâ cum prole ſororem
E medio tuleris, proh dolor! ante diem?
Grande ſatis factum, ſed erit crudelius illud,
Si numeres ſpacium temporis exiguum.
Nondum abiêre dies ter centum, ut grandior ævo
JOACHIM-ERNESTUS morte peremtus obit.
Filiolum moriens ſecum pater abſtulit unà
KUNO-GWILHELMI cui benè nomen erat.
MARGARIS antè patrem dulciſſima filia patris
Liquerat, expirans, putre cadaver humo.
Hos extîncta ſoror præceſſerat ANNA MARIA
Cum gnatâ, nomen cui CATHARINA fuit.
Lethi nulla mora eſt, fato SIGMUNDUS eodem
Occidit, hei cui nunc debita juſta damus.
Stirpe Latorfiadûm ſex hæc ſunt corpora nata,
Ordine quæ ſecum mors inopina tulit.
Dic quid Fata volunt? nimis aſpera fata juventæ?
Nobilis unde venit tanta ruina domus?
Scilicet à cœli Domino, terræque potenti;
Qui vitæ imperium juraque mortis habet.
Hic dator ut vitæ eſt, ſic cui vult, eripit illam,
Non quando nobis, ſed ſibi quando placet.
Si quæris cauſam, peccati culpa nefandi eſt,
Quæ tulit in mundum proh! genus omne mali.
Sæpè ſibi caros etiam DEVS optimus, antè
Virga ſuperveniat præripuiſſe ſolet.
Ne vitæ impietas mores pervertat honeſtos
Aut animam tentet fallere, ficta Fides.
Sed mortem vicit moriens pro crimine mundi
Salvator, vitam promeruitque novam.
Inde piis, meritum CHRISTI qui corde prehendunt,
Poſt triſtes obitus vita ſalusque venit.
Hac quoque ſpe nixus, SIGMUNDUS nobilis ortu,
Occubuit, mortis, triſte ſecutus iter.
A patre MATTHIA deduxit ſtemmatis ortum:
MARGARIS at mater TRESCHCOVIANA fuit.
Stemma Latorfiadûm generis ſplendore coruſcans,
Munia clara obiit, Martis & Artis ope:
Turmarum præfecti ex hâc venêre ſub auras,
Stirpe: ſacerdotes juſtitiæque ſimul.
Fortibus hic auſis majorum incenſus, adivit
Fervidus ingenio, juris & artis iter.
Conantem juvit multùm ſub flore juventæ
Cum patre SIGMUNDUS patruus, ære ſuo.
Urbs Sorabûm puero linguæ præcepta latinæ,
Artem æqui atque boni Leucoris alma dedit.
Marpurgum excoluit juvenem, fecitque diſertum
Heidelberga bonum continuavit opus.
Artibus excultus variis, pòſt extera vidit
Regna, Deos, mores, cum populisque ſcholas,
Gallia quas celebrat, quas prædicat Auſonis ora:
Quas Sala, quas Albis; quasque Thubinga colit.
Tres artes didicit, tres linguas calluit idem,
Poſſet ut alternis reddere verba modis.
Inde domum rediens, poſt ultima fata parentis,
Hæres, ut in patriâ ſede locatus erat.
Mox Elyſabetam thalami ſibi fœdere junxit,
Cui Brant de Lindavv ſtirpis origo fuit.
Hæc bis fœmineâ, ſimul & bis prole virili
Fœta ſuo peperit pignora grata viro:
Ex quibus una citâ periit nece filia: vivit
Altera, grata DEO Margaris omen habens:
Nec non vitali, fratres duo, luce fruuntur,
Quos ſalvos ſervet provida cura DEI.
Aſt pater in mundo hoc poſtquàm compleverat annos
Vitæ bis trinos, ter deciesque ſuæ,
Hei rabido tactus, qui nunc premit oppida, morbo
Occidit, & ſuperi ſcandit ad aſtra poli.
Jamque DEI in claro conſpectu gaudia carpit,
Et luce imbuitur nunc propiore DEI.
Namque DEI verbum coluit, ritusque ſacratos,
Principium ſumit, creſcit & unde fides.
In verbis verax, prudens in rebus agendis:
Colloquio facilis, moribus atque gravis:
Ut pius in vitâ, juris defenſor & æqui:
Sic quoque pauperibus dextra benigna fuit.
Obſequio & precibus morbi tormenta maligni.
Vicit, & obtinuit cœlitùs æger opem.
Nunc illi mors eſt requies, & meta laborum,
In Chriſto vitæ principiumque novæ.
Diſce mori mortalis homo, benê vivere diſce,
Delicias mundi diſpice, diſce mori.

Nicolaus VVeinerus Eccle-ſiaſtes Klicenſis.

WITTEBERGÆ
Typis Iohannis Gormanni exſcripta, anno 1618.

147

165

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-590451-p0005-8

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-590451-p0006-3

Nr 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808

nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 /

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-590451-p0008-5

149.
167

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-590451-p0009-4